

valet, ac si diceretur, antequam Christus innotescat. Vident nunc omnes, mera inscitia censores fuisse impulsos ad vomendum hæreseos nomen.

Psal. 62. b. 10.

Artic. 5.

Annotatio, Cōfugiendum ad Deum: nam præsidia humana, sunt mera vanitas. Bibliis 1545.

Censura, Hæc annotatio est hæretica & impia.

Vbi antithesis statuitur inter Dei & hominum præsidia, clarum est humana vocari, quibus Deus non benedicit. David quidem funda & lapidibus Goliath aggressus est: dicit tamen, Tu ad me venis cum hasta & armis & clypeo: ego autem in nomine Domini exercituum, 1. Sam. 17 f. 45. Alibi, Non servatur Rex in exercitu, neque gigas virtute sua: fallax equus ad salutem, &c. Psal. 33. c. 16. Item, In filiis hominum non est salus, Psal. 146. a. 3. Clarius etiam alibi, Vana salus hominis, Psal. 60. c. 13. Hæc sane hæretica illis sit sententia oportet, si meam improbent. Nam David, salutis nomine, præsidia omnia complectitur, in quibus meram vanitatem reperit. Atque ut sciamus Deum hac loquendi for-